

# EPITHALAMIUM IN EASDEM NUPTIAS

Auore  
MARTINO MONTAG  
Brandeburgensi.

**S**ic quia fata uolunt, satis paremus ouantes,  
Conferimusq; preces nostras & munera Sed quam  
Felices, quos tanta Dei clementia obumbrat,  
Factaq; fortunasc; uirum quos candida Virtus  
Ingeniumq; bonum, mores & pulchrior ætas  
Exornant, Musæq; piæ: tam fortibus ausis  
Inter tot fera fata pias agitantia mentes,  
Tollit humo, liquidasq; in luminis erigit auras,  
Et thalamo iungit dulci, pactisq; Hymenæis  
Annuit augurio sacrato & sœdera firmat.

Felix ergo iterum felix qui sorte benigna  
Sponse tibi claram iungis propagine nympham,  
Quam uerus Pudor & roseis affusa labellis  
Gratia uirtutumq; chorus commendat, & in te  
Suscitat ingentes ignes, tenerosq; per artus  
Labitur attactu celeri, totumq; cauernis  
Purpureum incendit laticem pius ardor, & extra  
Prorumpit, uultumq; notat. Sic concita reddit  
Pectora uerus amor: Sic sic in Virgine pulchra  
Vrimur, & tantos Nympharum haurimus amores,

Felix atq; iterum felix quæ sorte benigna  
Sponsa tibi clarum iungis propagine Nymphum,  
Quem formæ decor & præstans in pectore uirtus

Et mens Aonio multum perfusa liquore.  
Pœoniæq; artes, & doctæ MUSICA lingue,  
Te dignum efficiunt & multa laude coronant.

Illum ego, cum nondum sanguis daret integer æui  
Robora, cantandi suaues, cupidissimus, artes  
His lustravi oculis tractantem & dulcè canentem,  
Et Phœbo patre, & Musarum astante corona,  
Obstupuit Phœbus, Phœbi obstupuere Sorores.

Tunc sic Grynæus Vates. Ego maximus ille,  
Qui lucem rerum, rerum qui tempora formo,  
Et pulchris præsum ingenijs & carmina fingo:  
Te super æquales miro dignabor amore,  
Et mentem inflectam & mentem pulcherrimus intra  
Consistant Deus, & rapidum superantibus Eurum  
Alis armabo, & stimulos sub pectora condam,  
Et motum celerem, & uocem modulamine dulci  
Ipse gubernabo, ipse tuam moderabor auenam,  
Ut, si uel magni miracula sones ORLANDI,  
Aut quicumq; tibi nostra benè cultus in arte  
Materiam dabit, & numeris non infima quæret,  
Semper laude mea semper celebreris honore.

Dicta fides sequitur: nec te VALTINE fefellit  
Cura Dei, & studium & fructus florente sub æuo.

Sed, quò ritè tibi cedat coniunctio lecti,  
Comprecor ut magnus thalami fundator & autor  
Ipse liget uestras arcta compagine mentes,  
Aspiretq; bonus uestris conatibus, & Tu  
Viue diu, sed uiue Deo, cum coniuge chara.

FINIS.